determinativa Prædicati, ita ut ſenſus ſit: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te, ſcil. Deum Patrem & Jeſum Chriſtum, qvem miſiſti eſſe ſolum verum Deum.*

Ex Amphiboliâ *Martialis* imprimis argutè ludit *l. 1. Epigr. 80.*

Semper agis cauſas, & res agis, Attale ſemper:
Eſt, non eſt qvod agas, Attale, ſemper (agis.
Si res & cauſæ deſunt, agis. Attale mulas:
Attale, ne qvod agas deſit, agas animam!

Attalus πολυπράγμων, ut ſemper occupatus aliqvid agere videretur, apta inepta agebat: Ita ut ſi qvod ageret, deeſſet, aſinas ageret. Precatur huic Poëta ſalsè, ut ſi nihil habeat, qvod agat, agat animam, i. e. moriatur.

Sic L. *Seneca* Ep. 26. Qvid egeris, tunc apparebit, qvum animam ages. Luſus eſt in variâ ſignificatione τοῦ ago.

Annotatio.

Ad Amphiboliam pertinent & alia qvædam, qvæ Grammaticorum cruces vocant ob conſtructionis perplexitatem. ut:

Sunt